

III.

NEOVIDENSIS

Nro 45. (*Neovidensis* Nro 68.)

Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.

*Lyæus Rhenanus, Hungaricus, Gallicus et
etiam Suevicus, atque Franconicus sa-
lutem plurimam dicunt veteris Græciæ
Bacho in Elysio.*

Datum Rhenobergæ. Die Martis 4. Sept. 1804. (Neov. 21. Aug.)

Equidem, Domine Collega! possem super-
sedere a descriptione nostrarum vinearum,
vinorumque fertilitate hujus anni; & ejus
quantitate, ac qualitate, siquidem nostri vi-
norum socii jam sæpius de suo philosophico
vivendi modo (in solo hoc nomine, quomo-
docunque emolliatur, concenturiatur omnis
indignatio) objurgati sunt; & quia hodierni
nasutuli, qui tamen inter pocula libenter
philosophantur, abstinenciam a vino, una
cum sacharo, & Coffea Insulæ S. Dominici,
tanquam leve, & æquum holocaustum præ-
scribunt, idque ideo, ut quemadmodum illis
sapientissimis videtur, eo facilius ad majo-
rem perfectionem sine vino perveniamus.

Societates animalium, ajunt illi, anti-
quum semper observant morem. Certe corvæ

hujus sæculi ita crocitant, ita aquam bibunt, sicut eorum stirpis auctor ex Arca Noemi dimissus. Quam ob rem utantur homines vino, cum tantum animale denotet indigentiam? Verum humana intelligentia, imprimis illa Philosophorum, habet non tantum latissimum campum, sed etiam patentissimas vineas, in quibus suam efficacitatem gradatim, a prima incalescentia usque ad plenam crapulam possint perficere. Itaque homini, utpote rationabiliter bibulo enti, secundum procreationem terræ, quam incolit, sitis restringenda est, in partibus septentrionalibus cerevisia, & cremato, in meridionalibus autem vino.

Quemadmodum in natura extrema luminis, & umbræ, caloris, & frigoris puncta se contingunt, ita etiam ordinati appetitus desinunt in potum; si videlicet, quod sæpe tempore malæ procreationis vinorum evenit, ita debeât vinum ex pomis, aut cerevisia palatum afficere, prout fertili anno nobilissimum mustum. Ad diversos enim modos, ex quibus generis humani, aut alicujus populi factas in scientiis, & moralitate progressiones metimur, opinione nostra necessario pertinent etiam jucunditates, & hilaris animus incolarum, apud quos vinum progeneratur.

Jam vere novo in florem induentibus se vitibus vidimus copiam uvarum, quisque exultabat gaudio, sperans levi pretio se bibiturum vinum; Nonnulli tamen observaverant, comprimendam esse vim gaudii, usque

dum constet, succum viteum vasis esse inclusum. Tristis enim experientia docuit, varios, & inusitados intervenisse casus. Si his in terris poterant Sacerdotes bonis exui, quis mirabitur, si immissa de coelo mala tempestate, noxia pluvia, vel procella, pruina, & frigore omnes nostræ spes de ubere vindemia convellantur? Ex intimo animi dolore cogor fateri, ad conspectum præsentis aeris constitutionis cunctos vinearum cultores perinde vultum suum contorsisse, atque solent stupidi homines, dum illis *Jalappa*, aliudve medicamentum purgativum sumendum est.

In his rerum adjunctis ea animo meo insidet opinio, ut nos ambo, quorum directioni vineta concredita sunt, quique gloriam, & existimationem in doliis duntaxat vino repletis collocamus, eo convertamus mutuam operam, ut abundantis vindemiæ spes lætissima affulgeat. Ad causæ hujus patrocinium maximum in te momentum est. Es incola Coeli, ubi quotidie Deorum concilium habetur, interroga, amabo, Jovem, qui Solis curru circumvehitur, quid sid causæ, quod ad nostrum Horizontem Rhenanum nolit exspatiari? Videtur ex hydrope decumbere; Anno præterlapso ardentem habuit febri, unde, ut ego quidem judico tam copiosæ pluvix, tempestatesque prognatæ sunt. Dilectissime Bache! da consilium æsculapio, ut aquam intercutem Tarpeji Patris in calidum convertat morbum; ut sæpius cum Phoebō excurrat, & succum uvarum ad plenam maturitatem adducat.

Mensis Julius dederat ad fratrem suum nequam, & degenerem Augustum, mensem excoctorem litteras, in quibus eum sui officii admonuit, excellentem dignitatem supremi rei culinariæ magistri, qua præditus est, in memoriam revocavit. At ille immemor officii nullo ducebatur honore, ut enim fama fert, in itinere ubique se vino intemperantius ingurgitavit, quid ergo mirum tanta ex illo profluxisse flumina?

Advenit jam mensis September, quapropter, rubicunde Evan! majorem in modum te rogo, instrue hunc mensem ad peragendum officii munus necessariis consiliis, ut uvæ excoquantur, ejusque nauci frater Augustus oblivione sepeliatur. In hoc adhuc unico spem habemus propositam secundissimi eventus, iste potest expectationem nostram superare. Sinito eum *galvanismo*, vi magnetica, & electrica egregie perfricari, ne unquam debito calore destituatur. En supposito tibi omnia media, de quibus neque tu, neque majores nostri quidquam somniarunt. Eam enim vivimus ætatem, in qua talia dicuntur, scribuntur, et fiunt, quæ nostri Patres, avique vel cogitare vix fuissent ausi.

Sicut autem abjectæ, licet modo ubique adamatæ, & quotidie ad nauseam usque jactatæ illuminationis suspicionem libenter a nobis amoliremur, ita eo adhuc magis optamus immeritam objectionem calumniæ declinare, ac si nos omne inventum explodere-

mus; Licet igitur perspicuæ veritati repugnare non sit integrum, juvat tamen hanc solatii plenam limitationem præmittere: Nulla fere regula sine exceptione. Hinc tametsi Galvanismus, & vis tam magnetica, quam electrica parum adhuc profecerit siye contra surditatem, siye obstructions, aliasque vitæ incommoditates, liberaliter tamen concedimus, Mensem Septembrem, si galvanismo, magnetismo, & electricitate fuerit imbutus, omnes has qualitates, & egregias proprietates vitibus instillaturum, producturumque vinum mirabile.

Nunc alter ex altero anxie sciscitatur: Quid erit ex hujus anni vino? ad hanc quæstionem non potest aliter responderi, quam cum observationibus. Ut ortum, & progressum certarum rerum probe intelligamus, oportet meminisse, multas hodiernas institutiones in sua origine fuisse arbitrarias, quæ progressu temporis examini subjiciebantur, corripiebantur, & demum in consuetudinem abiere. Hoc demonstrat ipsa nonnullarum provinciarum agricultura, quæ potissimum ex institutis experimentis consistit. Ne autem per inania vaticinia inexpertis molestiam facessamus, & vinariis negotiatoribus pretium vini imminuamus, lubet quaspiam expertorum in re vinaria virorum animadversiones examinare, et diversos vini feraces annos inter se comparare.

Annus 1788vus perinde multum adbibit, atque præsens, quem agimus, pluebat sine

intermissione: uvæ ruptæ sunt, & putrescebant. Heu quantæ hinc querimonîæ! clamabatur, lamentis complebatur coelum, ex uvis nonnisi rancidum exprimendum esse jusculum. Sed (quod non modo mirabile fuit, sed prodigio simillimum, o vim Rhenanam, quæ omnem philosophicam virtutem transcendit!) vinum fermentavit ea celeritate, ut perfectionem obtinuerit, qua major (hic componendi sunt digiti, ori applicandi, & basia distribuenda,) aliis annis non dabatur. Heus! quomodo placent istæ comparationes, istæ spes, hæc principia experientiæ innixa, hæc practicæ cognitiones?

Hic loci non possum præterire rem notatu dignam, quæ in Bohemia, ubi? in Bohemia? ita est, in Bohemia accidit. Quidam Bohemus vere suam patriam amans diligentî promotione agriculturæ, & plantatione utilissimarum arborum novam industriæ viam aperuit, exemplumque imitatione dignum dedit laboriosis suis popularibus. Dominus Vimmer curavit multa millia vitium ex Burgundia adferri, ut eas in suis bonis insereret. Neminem latet, Melnicense vinum fuisse & domi, & foris celebratum, in contentionem venit cum burgundico, & ipsi Galli, qui illud gustarant, judicabant se genuinum in sua patria natum bibere burgundicum. Hic probus, & honestus vir (nam utraque hæc nomenclatio, quidcunque ogganiant Speculantes, qui in magno ejus rerum commercio suas duntaxat opes spectabant, &

re ipsa etiam locupletati sunt, eidem vere debetur) durante bello varias fecit circa Agriculturam, & industriam provincialem observationes, quantum per officium licuit, easdemque sedulo connotavit: Hanc rerum cognitionem secum attulit in patriam. In suis prædiis cultum agrorum amplificavit, villas reddidit amœniores, utilioresque. Sic præclari exempli facem prætulit. Non facile est regnum, quod tali, ita dicendo, creatore industriæ posset gloriari. Ad beneficentiam propensissimus, in se ipsum autem severus, summam ponit felicitatem in re agraria neque moratur ingentem profundere pecuniarum vim, durissimosque subire labores, si hæc ad ubertatem campis conciliandam, aut instituenda experimenta necessaria videantur. Sic ille excoluit vineas, Vites, & homines ex Burgundia accivit, sed etiam amplissimos modo sui consilii, & laboris percipit fructus; Burgundicis enim vitibus consiti colles longe nobilius fundunt vinum, quam unquam Melnicia biberit.

Tibi, optime Pater Lyæ! propter culturam agrorum statuæ positæ sunt; Nam non tantum docuisti plantare palmites, & teneram vitem palis adjungere, sed etiam frumentum serere, ponere ordine pyros, & quidem in regione, nullis fere fructibus ferendis apta. Insigne præstitisti Græcis beneficium, ea de causa te in numerum Deorum retulerunt. Collatio divinatorum honorum nobis hodie sunt fabulæ aniles, sed nec desiderio ta-

lium aluntur, qui bona, & utilia promovent inventa; Præmium eorum plerumque est invidia. At hi malevoli, visa rerum prosperarum inductione tandem redeunt ad sanam mentem, & vel inviti fatentur: Probum, & benevolum denique de omnibus animi motibus victoriam reportare, cui subinde sera posteritas erigit monumenta honoris.

Hæc sunt, de quibus te certiolem reddere volui. Vale, & tuis consiliis, ac horatibus effice apud congregatos in Olympo Deos, ut pro vineis nostris decurrant dies ardore solis flagrantissimi.

P r o b l e m a.

Quidam mercator in certum quæstum impendit certam summam pecuniæ, facta unius anni negotiatione apparuit, illum toties 2 fl. a 100, esse lucratum, quoties elocata summa 1000 continebat. Medietatem lucri convertit in sui intertentionem, aliam mediam partem adjecit sorti. Elapso secundo anno, observavit, se toties 3 fl. a 100, lucrificisse, quoties medium lucrum primi anni per 100 dividi potest. Hac lucri accessione animatus, illud totum, denitis 575 fl. titulo sustentationis, iterum elocavit, & tertio anno lucratus est 30 a centum. Ultima demum computatio ostendit, ejus præsens Capitale in medietate minus 50 fl. majus fuisse elocata pecunia.

Quæritur: Quantum fuerit capitale?

Isaacus Schuster,

Francofurtensis Tabellarii filius.